

baro quidem, sed vſitato in foris, nomine, differat a ſequeſtratione? Arrestum autem dici mandatum, quo perſonae aut res prohibentur, loco aut ſtatu ſuo moueri, recte definiuit DAVID MEVIUS <sup>a)</sup>. Illud autem voce tantum, non re, differre a ſequeſtratione, contendit MATTHIAS COLERVS <sup>b)</sup>, a quo non multum diſſentire videtur AVGVSTINVS A LEYSER <sup>c)</sup>. Contra vero plerique iureconſulti, omnino re quoque differre haec duo inter ſe, adfirmant, vt MEVIUS, quem dixi <sup>d)</sup>, LVDOVICVS GVNTHERVS MARTINVS <sup>e)</sup>, HENRICVS RAHNEN <sup>f)</sup>, ANDREAS CLVDIVS <sup>g)</sup>, SAMVEL DE COCCEII <sup>h)</sup>, IOANNES HARPPRECHT <sup>i)</sup>, et multi alii. Quibus quidem quum et ego adcedam, iam paullo curatius definiam, in quo ſit vtriusque differentia. Quod quidem quum quaero, curo potiffimum id, vt demonſtrem, quid cuique harum rerum, dum ad internam vim et naturam earum reſpicimus, proprium ſit. Illud autem facillime adparet, dum, propoſita cuiusque rei definitione, comparatio inſtituitur, et, quid cuique proprium ſit, indagatur. Puto autem in eo potiffimum et maxime differre ſequeſtrationem omnem ab arreſto, quod in omni ſequeſtratione, vt diximus, id agatur, vt auertatur damnum, quod quis ſibi ex eo oriturum metuit, quod quid ſit apud alterum, id quod in arreſto fieri, nemo vnquam dixit. Quippe

- a) in *Tract. de arreſtis* c. 1. n. 10. et 12. g) locum ſaepe dixi *cap. 2. ibique n. 2.*  
 b) *de proceſſib. exſequutiis*. P. 1. c. 2. n. 184. multos nominat diſſentientes, ita, vt negantium ſententiam dicat eſſe communem, quod fecit quoque HARPPRECHT loco mox nominando.  
 c) *Meditat. ad Pandeſt. ſpec.* 177. med. 1. 2.  
 d) *l. c.* n. 14. ſeqq.  
 e) in *Commentar. forenſ. ad Ordinam.* b) vbi mox, *quaest.* 21.  
*Proc. iud. Saxon. Tit. 51. n. 7. ſqq.* i) in *Commentar. ad Inſtit. Tit. Quibus modis re contr. oblig. n. 62.*  
 f) vbi ſaepe, *poſit.* 2.